ADEUNTE PRIMUM

AD TARVISINAM EPISCOPALEM CATHEDRAM

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.

JOANNE ANTONIO FARINA

ORATIO

HABITA IN ECCLESIA CATHEDRALI


AB ANGELO LUDOVICO RAMPINI

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE, CANONICO THEOLOGO

JUSSU ET NOMINE

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI CAPITULI

ANNO MDCCCLI



TARVISII

EX TYPOGRAPHAEO ANDREOLIANO

MDCCCLI

ORATIO

Quocumque oculos circumfero, ea mihi undique occurrunt, quae laeta, fausta ac prospera ominantur, atque adeo prae se ferunt. Sacrum hocce Templum festiva indutum supellectili, aulaeis ornatum, palmis floribusque consertum, magni aliquid fortunatique portendit. Maxima haec populi frequentia, variis civium ordinibus circumstipata, spectabiles Magistratus regii ac patrii, eventum praeclarum omnibus commune et publicum designant. Piae Sodalitates, Collegia, Seminarium clericorum, venerabilis totius civitatis Clerus, atque Amplissimum Capitulum Canonicorum, bene factum ad religionem maxime pertinere denuntiant. Si vultus singulorum contemplor, laetitia veluti depicta cernitur: si adstantium oculos intueor, ad hanc intimam Templi partem conversos video. Quid plura? Ipsa Sedes episcopalis, tristibus hucusque obducta viduitatis vestibus, nunc

hilarata, atque adeo sponsalibus condecorata ornamentis, exultatione gestire conspicitur, atque in eo est ut amplexum sponsi quasi expectare videatur. Curnam tandem tam magna, quaeso, tamque diversa rerum conversio post lacrimabile totius anni curriculum?.. Quidni? Nonne una est omnibus communis causa laetitiae? Nonne praelectae modo fuerunt Litterae Apostolicae, quibus grex tarvisinus fidei ac vigilantiae electi et rite sacrati Episcopi concreditur? Quae quum ita sint, nonne Templum hoc suum modo possidet Custodem, Ecclesia tarvisina Angelum suum, primum hoc altare summum Sacerdotem, vetusta haec Cathedra Magistrum, nobilis isthaec Sedes Pontificem, tota Civitas ac Dioecesis Ducem suum et Consiliarium, uno verbo, omnes suum Episcopum?

Te nimirum alloquor, Praesul Amplissime, et de fausto Tuo adventu percontor, Teque unum omnes nostri fatemur originem gaudii! - Flevimus, eheu! multum, ac valde lamentati sumus piissimum atque praeclarum Antistitem SEBASTIANUM SOLDATI, morte nobis praereptum, cujus mentis amplitudinem, eximias virtutes ac merita, laboresque exantlatos probe novimus, ac proinde jure optimo magnum ille nobis

sui reliquit desiderium. Nihilo tamen secius tot virtutum et meritorum ejus repetita recordatio, in causa fuit cur levamen moeroris sentiremus, ea scilicet firma confisi spe, eum vita nunc frui beata inter superos, ea nimirum corona redimitum, qua fideles mysteriorum Dei dispensatores, quasi stellae, fulgebunt. - Haec tamen pia cogitatio non impedivit, quominus nostram non recordaremur miseriam, utpote qui (in tanta praesertim tamque gravi rerum politicarum perturbatione cum tanto vel ipsius Religionis detrimento), dum potissimum egere videbamur duce ac magistro, orbati pastore ac patre, vicem nostram lamentabamur, illud maxime pertimescentes, ne longam atque adeo periculosam viduitatem tarvisina Ecclesia sustinere deberet. - Attamen maximo Dei beneficio factum est, ut qui frena moderantur Imperii et sollicitudinem gerunt universalis Ecclesiae, pro grandi eorum virtute ac prudentia, ab alto auxiliati, necessitates nostras bene noverint, et studiose votis nostris obsecundare voluerint. Scilicet Francisco Josepho designanti Pius annuit ad officium vocans et mittens, atque intra unius anni curriculum, quod vix sperandum videbatur, non tantum Antistitem designatum et probatum legimus, verum

etiam rite sacratum, infulisque ornatum, baculoque pastorali insignitum, Te, Praesul Amplissime, in medio nostri, voti compotes facti, ac proinde in laetitiam effusi, conspicimus.

Quamobrem Illustrissimum Capitulum Canonicorum jussit me, suo et totius Ecclesiae tarvisinae nomine, Tibi P. A. plurimum gratulari. Utinam modo in me tantum esset ingenii atque eloquentiae, quantum res ipsa postulat. Tunc certe mentis Tuae dotes singulares meridiana in luce collocare ferret animus, tum facinora praeclara in proximi utilitatem praestita, patefacere: vellem et labores atque officia multa in bonum societatis ac religionis ultro suscepta et probe absoluta, recordari: vellem altissimam Tuam amplissimamque dignitatem asserere ac tueri: paucis, vellem expectationi ac voluntati eorum, quorum jussu huc ascendi penitus satisfacere, eâque dicere gravitate, quae sacram hujusce diei pompam majestatemque decet, et quam conspectus tot praestantissimorum virorum jure requirit.

Verum haec omnia animum dicentis, suae tenuitatis conscii, potius conturbant atque exterrent. Id jam quum bene antea cognoverim, statim ac Reverendissimi Fratres mihi hanc esse spartam deman-

dandam dixerunt, onus declinare curavi; at, quum eorum vota in unum conspirarent, quumque animo reputarem rudis obstinatique ingenii indicium esse, optimorum consiliis nolle parere; hujusmodi suffragiis, quibus valde honestor, designatus acquievi, munusque honorificum suscepi. Quod si, ut facile continget, tanto oneri sustinendo impar fatiscet oratio, electioni vestrae, Reverendissimi Fratres, potius quam oratoris culpae infelix exitus tribuendus censebitur.

Te interim, P. A., enixe deprecor, ut non incomptam orationem, sed voluntatem animi mei respiciens, mihi de Tuis virtutibus deque Tua eminenti dignitate verba facienti, faciles ac patientes aures accommodes. Caeterum ne Tuae, disserens, modestiae displiceam, singula cursim ac summatim attingam. Ex his tamen quae leviter delibaverim, futurum confido, ut Auditores sapientissimi eo melius in Tui animum introspicientes, ejus amplitudinem ac praestantiam ipsi per se multo majoris aestiment, Teque maximi beneficii loco habere judicent.

Quae modo proposui firmiter servabo: non omnia scilicet Tuae vitae stadia fusius percurram: non sin-

gulos adolescentiae ac juventutis gressus persequar. Si forte id praestarem, specimen quidem exhiberem Tuarum virtutum, quod in viridi adhuc aetate praebuisti; sed quoniam nunc clariori in luce es collocatus, pauca deligam, quae instar multorum sint, et ex quibus de caeteris liceat conjicere.

Jam a prima adolescentia ignaviam semper et summopere es detestatus, ratus hominem nasci ad laborem. Quare otio perpetuum indixisti bellum, in id potissimum intentus, ut nullam temporis jacturam sustineres. Dum igitur studiis vacabas, totus in eo eras, et quum a natura acri donatus fueris ingenio, tales in qualibet palaestra fructus retulisti, ut commilitonum esses nulli secundus.

Silentio praeteribo, ne mihi succenseas, modestiam, humilitatem, prudentiam caeterasque morales virtutes, quibus a puero fulgebas. Id unum commemorare fas omne sit mihi, Te, D. O. M. gratia praeventum, nihil unquam praetermisisse, quod ad bene pieque vivendum plurimum conducit, et mature, ut Samuel, primos divinae gratiae impulsus ita excepisse, ut uberiores validioresque in dies consequutus a Deo fueris, adeo ut vocem illam tandem sentires, quae Tuum movit animum, ut Regi regum unice

servires. Deo vocanti illico dixisti: *ecce adsum*, et inter Seminarienses vicetinos cooptatus, pietate, studio ac diligentia caeteris praeluxisti clericis.

Absoluto studiorum cursu, vel antequam ad honorem Sacerdotii eveheereris, tanta Tibi praesto fuit doctrinae supellex, ut inter Professores istiusmet Seminarii adnumerari merueris, et postquam humaniores litteras adolescentulis tradidisses, cathedram pastoralis Theologiae conscendere jussus es ab Amplissimo Tuo Praesule, Deo sic suaviter sapienterque disponente, ut dum Tu, clericis in sortem Domini vocatis, opportuna tradebas praecepta ad verbum Dei fideliter enunciandum, atque ad sacramenta rite administranda in cura Christifidelium; cognitionum Tuarum thesaurum augeres, atque, tunc alta mente repostum, tempore opportuno proferre posses non tantum clericis instituendis, quam ipsis animarum pastoribus juvandis ac dirigendis (1).

Caeterum quum optime cognovisses Christi ministros esse oportere sollicitudine non pigros, spiritu ferventes (ad Rom. XII, 22.), non solum discipulorum profectum curare, sed et Dei cultum atque amorem promovere, proximique necessitatibus succurrere officium duxisti. Quamobrem Tibi solemne

fuit antelucanis horis de lecto surgere, et fusis primum in cubiculo ad Deum precibus, sacras aedes adire, et Sacro rite peracto, ibidem dudum consistere vel ut preces funderes, vel ut Christifidelium confessiones exciperes, aliasque sacerdotalis muneris partes expleres.

Verum dum optimis consiliis animarum necessitatibus ac morbis mederi primum curabas, prout charitas bene ordinata requirit, novum in corde succrevit desiderium, ut corporalibus quoque proximi indigentiis succurreres. Dum vero mente revolveres qua ratione Tua haec beneficia conferre posses, non casu, ut opinor, sed superno consilio factum est, ut duae Tibi occurrerent adolescentulae patre orbatae, a matre, quasi esset noverca, derelictae, quae, fame compulsae, Tuum expetebant auxilium. Id advertens, reique veritate comperta, dum puellas in tuto collocare curas, ab his parvis initiis magnum moliris opus. Nimirum considerans vicem harum puellarum, quae a parentibus ferme negliguntur, et, veluti oves sine pastore, huc illuc vagari permittuntur, quin ullus adsit qui ab insidiis luporum eas tueatur; magno ausu domos conducis quae eas contineant, pias praeficis mulieres, quae eas custodiant, unaque ad pie-

tatem instituant, atque ad faemineos labores exerceant simulque victum vestitumque subministrent. Sed augescit quotidie earum numerus, et census tot impensas ferre nullo modo potest! Quid refert? Charitas omnes excludit timores ac valde industris est: ipsa civium suppetias praestabit, atque adeo principum atque Imperatricum copiosas largitiones suppeditabit. Paucis, Vicetia Tua, P. A., quae sanctorum civium Cajetani Thienaei ac Bartholomaei de Bregantia illustria facta atque innumera beneficia adhuc grata recordatione prosequitur, Vicetia Tua, inquam, Te auctore, nova ac grandi familia aucta et condecorata fuit (2).

Nec gravia haec munia Te detinebant, quominus et alia multa tum ad utilitatem singulorum, tum ad commune bonum eodem prope tempore praestares. Tanta enim est semperque fuit in Te tamque praestans in agendis negotiis muneribusque obeundis dexteritas atque industria, ut plura ac salebrosa eodem tempore officia susceperis, atque ita propriis cujuscumque officii oneribus satisfecisti, ut in singulis unice versatus esse videreris, ac proinde de Te jure repeti posse videatur, quod Livius de Catone dicebat: *Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia*

fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret (Lib. XXXIV, 40).

Tua haec praeclara merita in bonum tum ecclesiae tum societatis, in causa fuerunt cur Sapientissimus Antistes Vicetinus Te inter Canonicos cooptari curaverit. In nova autem hac vitae ratione occupatus, caetera officia, quae industriam personae atque assiduos labores requirunt et vigilantiam quotidianam, relinques, vel saltem posthabebis? Minime gentium: immo etiam nova in dies credita erunt munia Tibi, eaque suscipies, et lubenti invictoque animo sustinebis. Num vobis fucum facio, Auditores? Absit: ipsa facta loquantur. Regium Lyceum vicetinum suo carebat moderatore, postquam clarissimus vir, qui eo fungebatur officio, petiit atque obtinuit muneris vacationem, in gravi jam aetate constitutus. Quis igitur praeficiendus tanto huic muneri? Quis? Nonne hic adest concivis et canonicus Farina firmis praeditus viribus, integra valetudine, ingenio prudentiaque praeclarus? Brevi, nobili huic palaestrae praeponitur, atque ipse onus suscipit optimeque gerit. - Verum et in humilioribus puellarum scholis desideratur moderator, qui juventuti ab elementis erudiendae praesit. Jam Canonicus Farina ad novum

hoc officium proponitur, ab eoque lubenter suscipitur. Deest regius librorum Censor, qui jura Imperii atque Ecclesiae sarta tecta servet ac bonos mores tueatur. Vultis Censorem? Canonicum Farina praeficite: onus ipse minime detrectabit. Sed, quaeso, interesse debet, utpote Canonicus, divinis officiis: et adest. Sed Orphanotrophium, a D. Dorothea nuncupatum, eum praestolatur: et adest. Sed ejus praesentia tum in Scholis, tum in Lyceo requiritur: et praesto est, ut merito repetere debeamus: *Sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret.*

Quae quum ita sint, quumque scientia, pietate, prudentia caeterisque clareat virtutibus vir optimus Joannes Antonius Farina, ut non tantum adolescentum ingenia eorumque mores excolere et informare valeat, verum etiam et voluntate et firmitate virium alia munera queat sustinere, tum rerum bene gerendarum scientia polleat, ac tandem magna erga proximum exardescat charitate; integrae praeficiatur Dioecesi, et magnum sic campum habebit, in quo vires virtutesque exercere possit suas. Sic, ut opinor, Summus Imperator ratiocinabatur, cogitationesque suas Pontifici Maximo patefaciebat, qui, divino

afflatus Spiritu, renunciationem probavit, sancivit, ratam habuit.

Quamobrem D. O. M. (qui providentia sua omnia sapienter disponit) donum hujusmodi in primis acceptum referimus, eique immortales agimus gratias. Sed et Pio IX Pontifici Sapientissimo gratiam habemus, qui, quamvis multis districtus curis sollicitudinibusque, tarvisinam tamen Ecclesiam adeo benigne respexerit, ut Te ei Pastorem ac Ducem praeficeret. Jure autem optimo et Summi Imperatoris ac Regis virtutem et clementiam perenni colemus memoria, utpote qui primus, quemadmodum fert consuetudo, nomen Tuum Magno Pontifici protulit ac plurimum commendavit. Tibi igitur, P. A., libentissime subjicimur, et in sacris Te moderatorem ac patrem veneramur.

Jam vero splendidissima hac die Dioeceseos Tarvisinae gubernacula primum suscepturus accedis, jamque in eo es ut ad Tuam Episcopalem Sedem ascendas, ibique obsequium ab universo hujusce Cathedralis civitatisque Clero per annuli osculum accipias: jam manu tenes baculum, quo Tibi custodiendus et pascendus traditur grex iste Christi... Quid? Haesitas nunc et cunctaris? - Bene novimus

inde Te non latere scopulos ecclesiasticae navigationis hujusmodi; simul tamen meminisse juvabit illud D. Augustini effatum, nimirum Petri navim fluctibus jactari quidem posse, mergi nullo modo. Quod si praesertim nostrorum temporum nigris innuis nimbis tempestatibusque subito obortis, totamque pene Europam susque deque vertentibus, dolentes fatemur difficilia exinde atque ardua Tibi contigisse tempora. Secreta jamdudum conventicula impiorum hominum technas ac fallacias in tenebris consarcinarunt, mentesque pusillorum decipientes, falsa atque impia principia tamquam portenta praeclara venditarunt. Non exigua societatis pars aut hisce capta machinationibus, aut illecta invitamentis, aut fronte prima decepta, sibique aliisque omnibus illudere visa est. Interim vaferrimi illi qui clavum tenebricosae Societatis eminus regebant, sacro libertatis nomine abusi, dum aevum aureum cum libertate portenderent, impia quaeque ac probrosa, effraenata licentia, patrantes, nonnisi irruere, rapere, destruere ac durissimum jugum aliis imponere conjurarunt. Detectis vero serius ocius impiis eorum fraudibus, vel propalam pacificos cives atro dente petebant, vel cuniculis oppugnabant, eo ducti consilio, ut vel dissidia,

vel terrorem, vel odium quoquoversus disseminarent. Hinc tot malorum orta seges: hinc mores corrupti: hinc prolapsa religio: hinc vitiis atque impietati patefacta via fuit.

Sed quorsum pluribus haec commemoro, quae Tibi omnibusque notissima sunt? Eo nimirum consilio, ne nimia afficiaris tristitia, si, Tuam perlustrans mysticam vineam, aliquod forte repereris vestigium quod irrumpentes apri vulpesque per eam cursitarint. Etsi vero id negare non auserim, scias tamen (ut phrasi utar S. Scripturae) quod nec sepem ejus vastarunt, nec maceriam demoliti sunt, nec ipsam vineam penitus conculcarunt... At jam caelum modo, atris retro obductum nubibus, ad pristinam redire videtur serenitatem, (si *Socialistarum* et *Communistarum* somnia, seu potius commenta nefanda, missa faciamus) siluit imber, vocesque horrisonae conticuerunt: Ecclesia scilicet inferorum armis vexata, impiorumque filiorum conatibus lacessita, caelesti semper innixa patrocinio, refici tandem ac respirare confidit. Eja, igitur, animum sume, et Temet, Praesul Amplissime, rebus serva secundis, quum caeteroquin multa possis ipse praestare, ut omnes in officio contineas, atque alia Tibi praesto sint

media, quibus errantes ad bonam frugem virtutemque traducas.

Verum tempus est ut de episcopali Tua dignitate deque Tuae auctoritatis amplitudine, quod initio proposui, pauca adjiciam. Jam recte novi Te munus episcopale non ab honoribus metiri, sed a sua sanctitate, non ab obsequio clientum, a copia famulatus, ab ubertate praediorum, sed a gravibus curis, atque a districto magni diei judicio, quod Summus animarum Pastor a Te exquiret. Quare incertus et anceps inter metum periculi et caelestis gratiae spem animo haeres! - Quid modo dicam Tibi? Onus certe sumis vel ipsis angelicis humeris formidandum! Opus gerere debes bonum quidem, ut ait Apostolus, sed opus, atque adeo magnum opus! Jam, si humanas tantum vires considerares, apostolicum hocce munus merito reformidare deberes, illud Pauli mente revolvens, quod *sufficientes non simus*, nedum praestare, *sed nec cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis* (II. ad Cor. III, 5); sed animum recreat, quod illico subjungit: *sufficientia nostra ex Deo est.* Hoc nixus principio, illud Tibi repetere licebit, quod Paulus ipse dicebat: *Omnia possum in eo qui me*

confortat (ad Philipp. IV, 13). Et sane, per sacram capitis unctionem manuumque impositionem caelestis descendit gratia, quae Tibi consilium suppeditabit ac robur addet, ut sacrum opus, quod hodie aggrederis, rite pertractes sancteque perficias. Praeterea nonne omnem animi formidinem a Te removere debent promissiones Christi dicentis: *Ego elegi vos et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* (Joan. XV, 16.)? Pro Christo igitur legatione fungeris. Vide inde munus nobilissimum: perspice sanctissimum officium: intuere altissimum ministerium! Denique considera dignitatem officiumque Tuum a Deo accepisse, metuque depulso, Temetipsum honori simul et oneri, ope fretus divina, fidenter submitte.

Quamvis et alia in promptu essent, quae ad mirabilem Tui muneris dignitatem atque officii rationem spectant; de tanta hac re non audeo ulterius disserere, ne aut minus apposite loquar, aut Te, qui optime haec omnia noris, velle docere videar.

Agedum, circumspice patronorum agmen, quibus Deus hanc Ecclesiam commendatam voluit! Aderit Tibi B. V. M. sub privilegio *Immaculati Conceptus* a nobis salutata, quae diligentes se materno plane

affectu diligit ac tuetur. Aderit Princeps Apostolorum, in cujus honorem vetustissimum hocce Templum D. Prosdocimus Omnipotenti Deo primum erigendum curavit: aderit D. Liberalis caeterique Patroni in omnibus angustiis propitii, quorum precibus e caelo latae Tibi suppetiae venient. Quid non jure sperandum ab hisce principiis faustitate plenissimis? - Quodsi in tam multiplici munerum officiorumque varietate, aliorum quoque ministerium atque operam praestolaris, ut Moses ope seniorum fecit, ipsisque Apostolis facere visum est, adscitis sibi ministris; nonne adest Tibi gravissimum Canonicorum Collegium (quod à tridentina Synodo *Ecclesiae Senatus* nuncupatur), quorum consiliis, quae forte involuta atque implicata videbuntur, secernes extricabisque, atque aleae plena prudenter ponderabis? Nonne praesto Tibi est vir ille praesertim, qui laudabili prudentia ac fide integra Dioecesim universam per totum viduitatis curriculum vicaria auctoritate administravit? In ministeriis autem actu gerendis, nonne probatissimorum Curionum aliorumque Sacerdotum opera juvaris? -Fateor equidem multam esse messem, paucos e contra adesse operarios; sed mecum una judicabis, non

a numero, sed a praestantia dimetiendos esse numerandosque ministros. Praeterea nonne adest Tibi clericorum Seminarium? Si molem hujusce aedificii, partium pulchritudinem, capacitatemque perspexeris, non est quod melius desideres. Novum hoc scientiarum domicilium, ut nosti, consilio et curae eximii Antistitis Sebastiani Soldati est in acceptis referendum, aere conlato totius Civitatis ac Dioeceseos. Si vero de clericis, qui in spem Ecclesiae in eo aluntur, sit sermo, nihil aliud optamus, nisi ut numerus augeatur. Praesunt iisdem lectissimi Moderatores Praeceptoresque clarissimi: tum ipsi alumni pietate et bonis moribus plurimum se commendant et studiis laudabilem dant operam. Quidquid vero laboris, diligentiae atque auxilii in bonum hujus domicilii contuleris (plurimumque conferes), idipsum in universae Dioecesis utilitatem redundabit, atque ex hoc veluti horto illae adolescent plantae, quas opportuno tempore in diversas praedii Tui partes transferre poteris, uberrimos ex illis fructus collecturus ad Dei honorem, ad animarum salutem, ad gloriam Tui nominis sempiternam.

Agedum, nostrae hujus Tarvisinae Ecclesiae Moderator et Rector, munus capesse illudque gere.

Tu modo, P. A., pater, pastor, magister, dux es omnium nostrum. Si patris monita dederis, filiorum amorem atque obsequium non desiderabis. Si pastoris vocem emittes, grex fidelis eam tuto sequetur. Si caelestis doctrinae pabulum nobis ministrabis, laeti suscipiemus. Si Crucis vexillum dux ipse arripies, nos fidentes pone sequemur, et labores, discrimina atque adversa quaeque fortiter Tecum sustinere parati sumus.

Haec animi sensa, quae jussu ac nomine totius Capituli Tibi protuli, sunt sensa Cleri universi, tum patrii Municipii, tum cunctorum civitatis Ordinum simulque populi Tibi omnia fausta conclamantis.

Quum autem omne datum optimum atque omne donum perfectum desursum descendat, finem faciemus orationi D. O. M. deprecantes verbis prophetae Davidis, ut agricolam et vineam servet, Pastorem populumque salvum praestet: ***Fiat manus tua super Virum dexterae tuae: et super Filium hominis quem confirmasti tibi. Et non discedimus a te: vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus. Domine Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus*** (Ps. LXXIX, v. 18-20).

ADNOTATIONES

(1) Joan. Ant. Farina natus est die 11. Jan. an. MDCCCIII. In patrio Vicetiae Seminario litteris optime imbutus praemioque quotannis donatus, ibidem Philosophiae ac Theologiae cursum confecit et gloriose absolvit, et continuo, anno scilicet 1822. Gymnasii Professor factus, dum adhuc vigesimum suae aetatis annum ageret, litteras tradidit. Ab anno autem 1831. usque ad an. 1841. Theologiam pastoralem et sacram eloquentiam docuit. Jam inde ab an. 1832. renuntiatus fuit *Examinator Pro-Synodalis*. Eodem circiter tempore unus fuit ex illis qui promoverunt Sodalitatem presbyterorum vicetinorum, qui spiritualia exercitia Christifidelibus dioecesanis gratis dabant. - An. 1841. inter Canonicos Cathedralis Vicetinae cooptatus, simulque Moderator Caes. Reg. Lycei nominatus est. Anno 1847. Director Caes. R. Scholae ad educandas puellas in majoribus doctrinae elementis, ac tandem An. 1850. Regius Librorum Censor electus est. - Tot haec officia una ipse gessit, simulque Orphanotrophium D. Dorotheae fundavit, rexit gubernavit, auxit. Ex his patet quam vere dictum sit de praestantia ac dexteritate hujus Viri, ut unus ea exequi potuerit, in quibus singulis officiis fungendis non pauci probe occupati esse viderentur.

(2) Institutio educationis Divae Dorotheae dicata, an. MDCCCXXIX. Vicetiae fundata, cura, labore, industria ac studio singulari illustrissimi ac reverendissimi Joan. Ant. Farina, opus est eximiae charitatis, quod vel stultorum sycophantarum tabidam superat invidiam. Sibi proponit moralem ac civilem puellarum institutionem, earum etiam quae visu, loquela audituque inde ab infantia carent, tum aegrotantium curam in Nosocomiis. - Praeter domum principalem, quae Vicetiae extat, in duobus nobilioribus oppidis vicetinae Dioecesis, atque in quibusdam aliis pagis quasi filiales domus apertae sunt, quae universim mille quingentas alumnas enumerant, quarum trecentae non modo instituuntur ac reguntur, sed gratis etiam tectum habent, alimenta vestesque. - In fundatione Institutionis expensa fuerunt bis centena et quadraginta millia libellarum austriacarum, emendis scilicet, reficiendis aptandisque aedibus, vel ex novo aedificandis, et quotannis requiruntur 60. m. libellae ad impensas sustinendas. - Pia haec Institutio canonicam adprobationem obtinuit a Summo Pontifice Gregorio Pp. XVI. fel. record., ut constat ex ejus Bulla sub die I. Martii a. MDCCCXXXIX. - Sacra Majestas Maria Anna Carolina Pia pientissima Imperatrix, inde ab an. MDCCCXXXVI,

hujusmodi Institutionem patrocinio suo fovit, eamque sua praesentia desideratissima bis honestavit, maximisque beneficiis cumulavit et hodie cumulat. - Ut apud posteros tantae rei memoria extaret, posita fuit sequens inscriptio:

PER . MARIA . ANNA . CAROLINA . PIA
IMPERATRICE . REGINA
CHE . DUE . VOLTE . CON . SINGOLARE . ESEMPIO . DI . DEGNAZIONE
VOLLE . VEDERE . QUESTE . FIGLIE . DI . SANTA . DOROTEA
I . OTTOBRE . MDCCCXXXVIII . XXVI . GIUGNO . MDCCCXXXXI
DIECI . E . DIECI . PER . VOCE . E . PER . ISCRITTO
ONORARE . DI . SOVRANO . COMPATIMENTO
DI . REGALE . MUNIFICENZA . DISTINTAMENTE . SOCCORRERE
QUESTA . MEMORIA . SEGNO . NON . DELEBILE . DI GRATITUDINE
SCULTA . PIU . NEI . CUORI . CHE . NELLA . PIETRA
SEMPRE . STARA

Discedente vero a patria sua ill. ac rev. D. D. Joan. Ant. Farina, ut tarvisinae Ecclesiae regimen susciperet, grati animi ac perpetuae recordationis ergo, hujusmodi monumentum in *Dorothearum* domo erectum fuit:

A . GIOVANNI . ANTONIO . FARINA
VESCOVO . DI . TREVISO
CHE . CON . VISIBILE . PROTEZIONE . DELLA . PROVVIDENZA
DA . ESIGUI . PRINCIPII
FONDO . E . SOLLEVO . A . GRADO . DI . PERFEZIONE
QUESTO . ISTITUTO
SACRO . ALLA . RELIGIONE . ED . ALLA . SOCIETA
NEL . GIORNO . IN . CUI . TANTI . CUORI . GIUBILANTI
LO . ACCOLSERO . NELLA . SUA . SEDE
SEGNERANNO . QUESTO . SASSO
LE . FIGLIE . SUE . INCONSOLABILI . NEL . PIANTO
XVI . FEBBRARO . MDCCCLI